Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

# Germania

## Bertius, Petrus

[Amsterdam], [1616?]

urn:nbn:de:gbv:45:1-308479

Visual Library




Farbkarte #13 B.I.G.
Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black
Landesbibliothek Oldenburg

Obiit anno DCCLXVII, octavo Calendas Octobris. Sepultus verò jacet Lutetiæ in Ecclesia S. Dionysij cum hac inscriptione, PIPINUS REX PATER CAROLI MAGNI.

*Anno ab incarnatione Domini* DCCLXXIX *imperante adhuc Constantino* CAROLUS *diviso cum fratre regno regnare cœpit.*

Carolo utpote majori natu Neustra obvenit cum regnis Burgundiæ & Aquitaniæ. Carolomanno Austria cum gentibus Transrhenanis. Carolus post Galienam, duxit Desiderii Longobardorum regis filiam uxorem, obstante licet Stephano Papa, quod minus benè vellet Desiderio: Sed eam Carolus fractus Pontificis importunis legationibus tandem dimisit. Aimo ad annum Christi DCCLXXII. Hoc anno, inquit, etiam Dominus Carolus rex repudiavit filiam Desiderii regis Longobardorum, anno postquam matris hortatu eam duxerat uxorem, & Hildegardem de gente Suevorum præcipuæ nobilitatis fœminam in matrimonium accepit.

*Sequenti anno Carolus in Wormacia generalem curiam celebrans, orationis causa limina Apostolorum visitare disposuit. Tertio regni sui anno Carolomanno fratre suo mortuo, uxoreque illius cum filiis ad Desiderium Longobardorum regem fugiente, Carolus solus regnans cum exercitu Saxoniam ingreditur.*

Vetuit nimirum Carolus ne patris sui hæreditatem adirent liberi, ipse monarchiam animo meditans: nec defuerunt in Italia qui, quod Longobardis male vellent, hanc ipsos subvertendi occasionem aptissimam judicarent. Soror utriusque Rothaidis, mater Rulandi ejus qui in Saxonia egregiam Carolo operam præstitit, sepulta est Metis. Ejus Epitaphium hoc est,

Hic ego quæ jaceo Rothaidis nomine dicor,
Quæ genus excelso nimium de germine duco.
Nam mihi germanus Gentes qui subdidit armis
Ausonias, fretus Karolus virtute Tonantis.
Pipinus pater est, Karolo de principe cretus,
Aggarenum stravit magna qui clade tyrannum,
Pipinus proavus, quo non audacior ullus.
Ast abavus Anchise potens, qui ducit ab illo
Trojano Anchise longo post tempore nomen.
Hunc genuit pater iste sacer Præsulque beatus
Arnulphus, miris gestis qui fulget ubique,
Hic me spe cujus freti posuere parentes.

Ita ad Carolum solum tot regna devoluta sunt, quæ ille florens ævi, (vix enim annum expleverat ætatis vigesimum) & viribus polleus, ex eo auxit, & ad posteros transmisit. Hic ille est Carolus, qui à virtute & magnitudine rerum gestarum MAGNI nomen in Occidente obtinuit, & cujus in Francia soboles usque ad Hugonem Capetum per annos ducentos atque amplius, in Germania verò haud ita diu imperavit.

## CAP. III.

### MATRICULA ORDINUM SACRI IMPERII ROMANI, *hoc est, eorum, qui ad Comitia evocari, inque iis jus suffragij habere solent.*

COnsequens nunc videbatur, ut Caroli Magni gesta, cæterorumque Imperatorum percurreremus, atque inde regna regesque Bohemiæ, Hungariæ, Poloniæ, Daniæ, Sueciæ, Norwagiæ describeremus, ad ectis Electorum tam Ecclesiasticorum quam secularium ditionibus, cum Ducibus & Ducatibus Austriæ,



3622/9
ALBERS 012
Karte0273

Landesbibliothek Oldenburg